

*Davidis Hilchen Syndici Rigen.*

AD THEODO-  
RVM RIGEMANNVM ELE-  
GANTIS INGENII IUVENEM.

EPISTOLA.

QUA RATIO STUDENDI  
*Philosophie & cuicunq; alteri Facul-  
tati demonstratur.*



R I G A E.

*Excudebat Nicolaus Mollinus.*

*Anno 1592.*

DAVID HILCHEN.  
THEODORO RIGEMANNO  
S. D.



Ampridem petis à me, Theodore: nunc etiam Spectabilis tecū Pater tuus, grauis ac prudens Senator, postulat: ut tibi ad Academicarū Doctores euoluturo, viam aliquam breuem, rationemq; studendi Philosophia & cuiuscunq; alteri facultati, demonstrarem.

Vidētis enim vos, Ego quoq; sentio, ut omnium quidem eorum, qui in Academiās se conferunt, idem sit scopus, sed non idem tropus: & ut plurimum diuersa sit & prorsus improba ratio: qui nec ingenio præditi, nec adminiculis doctrinae instituti necessariis, implumes ita redeunt sæpe, ut sapissimè exeunt: quod quidem non sine magna eorum infamia & publico malo fieri potest.

Tu verò in litteris, non dubito quin si velis, possis præclaram præ cæteris operam nauare.

Habes enim ea, quæ impediunt sæpe aliquos, quibus ipsa desunt, ne ad scopum studiorum perueniant.

Suppetit tibi ingenium: res familiaris superest: valetudo tenera et si sit, integra tamen est: voluntas

parentum paratissima adest, ita ut nihil magis cupiant, quam ut sine vita discrimine, uberrimos fructus Academicos possis metere, nec sumptibus parcent.

Qua in re discedunt à pessima multorum, non minus quam stultorum parentum consuetudine, qui malunt filios copia pecuniarum, quam usu auctos, relinquere.

Velle quoque te scio: cum ut patriæ prosis, & parentum suspiriis satisfacias, nec non expectationi meae respondeas, cui scis tales, ut tu es, charissimos esse: tum in primis verò, ut splendorem illum, quem præclaro litterarum testimonio familiae vestrae, patruus tuus Henricus Rigemannus, vir consularis, vita equidem, sed nondum laude sua defunctus, confirmavit, ad maiorem temporis memoriam amplifies.

De facultate tua nullum etiam dubium est, quia natura es diligentissimus.

Quid igitur restat amplius? sola Ratio studendi.

De ea sapientes viri multa excogitarunt, quae ego relinquam: ne iustum modum epistola migret, in qua eò breuiorem me esse oportet, quò sum occupatior iis rebus, quae nihil ferè ocij ad hoc scribendum permittunt.

Ut tamen patris voluntati studioq; tuo morem geram, ex spaciis adolescentia mea quadam ad te scribam, non ut te vel alium doceam, aut ad hac quae scribo, alligem, sed ut tibi ostendam, quae studendi ratio in mea adolescentia mihi fuerit proposita, & ut ex ea, si libet, tuam recognoscas.

Ratio autem haec studiorum est distributa in tempus ante lectionem, in tempus lectionis: post lectionem & tempora disputationum: Ex his bene transactis & collocatis, pendet totus profectus hominis studiosi.

Media hora itaq; ante lectionem aut circiter, praelegas ea, quae Praeceptorem lecturum putas: in iis, si quae sunt, quae tibi intelligere videris, des operam, ut in lectione attendas: num eodem modo explicet & intelligat Praeceptor, nec ne: si quae vero non intelligis: ea vel animo vel scripto annotes: ac postea animadvertas quomodo Praeceptor explicet, atq; ita comparatus ad lectionem accedas.

Idem ex parte poteris facere: quando dicit Praeceptor: et si enim tum quae ille est dictaturus, non possis praelegere: tamen si ex iis quae dictata iam sunt, possis colligere, quidnam vel qua de re proximè sit dicturus Praeceptor, utile est breuiter eam animo

praecipere & observare, quemadmodum ille explicet, probet, &c.

In ipsa verò lectione (quae quoad fieri potest, nunquam negligenda est) diligentissimè semper attendas Praeceptorem explicantem, nec interim unquam occuperis circa textum Authoris, aut circa scripta dum explicat Praeceptor.

Inuat etiam ad evagationes mentis cobibendas, fixis oculis intueri Praeceptorem explicantem: excitatur enim magis animus, & saepe ex uno gestu Praeceptoris facile intelligitur, quod difficulter aliquando aut tardè fuisset intellectum.

Inter scribendum prodest ita se assuefacere, ut non totus animus semper sit in solis characteribus formandis, sed ut simul dum scribis, possis etiam nonnihil attendere rebus ipsis.

Tandem uno quasi indice vel verbo saltem coneris, brevicem quandam summam eorum, quae sunt dicta in lectione, animo consignatam tecum domum reportare, quantum quidem fieri potest.

Lectionem deniq; nullam unquam negligas repetere, sed statim atq; publicè audivisti, eandem domi repetas.

In qua quidem repetitione primùm breviter ac  
rudi-

ruditer reuoluas animo summam totius lectionis  
quam debes repetere.

Deinde uel ex *Authore* uel ex scriptis queras  
*exactiorem eius intelligentiam*, probationem, expli-  
cationem, &c.

Si lectio indigeat exemplis, prater ea quae sunt in  
libro, ipse alia excogites aut etiã scribas, quibus regu-  
las, leges, definitiones item & diuisiones, applices.

Cogites etiam: an illa quae ab *Authore* uel à *Præ-*  
*ceptore* in *Philosophicis* praesertim *spaciis* dicuntur,  
ita se habeant, ut ipsi dicunt: & ea quasi examines  
ac coneris inuenire aliqua in contrarium.

Quae si inueneris, coneris rursus soluere, uel ex pro-  
prio ingenio, uel ex *Authoris* & *Præceptoris* dictis.

Et si quidem soluere poteris, benè habet: sin minus,  
notes in charta, & prima occasione *Præceptoris* uel  
alteri soluenda proponas: quod idem faciendum est  
de aliis quibuscunq; dubitationibus occurrentibus.

Repetitis omnibus & intellectis: ea rursus apud te  
redigas in breuem summam, quam animo retineas,  
atq; ita finis sit repetitionis.

Si repetitione sic peracta adhuc aliquid tēporis su-  
persit, uel pares te ad argumētandū aut respōdendū,  
sive ordo disputādi attingat, uel repetas praecedētia,

quæ aut minus intellexisti, aut magis coherent cum  
lectionibus precedentibus, id quod tum maxime fa-  
cere debebis, cum plures dies vacationum occur-  
runt.

Duo tamen maxime observanda sunt, ad repeti-  
tionem modo dicto rectè & utiliter peragendam.

Unum, ut ita semper apud te repetas, quasi ean-  
dem lectionem vel in Auditorio repetiturus esses co-  
ram Præceptore & condiscipulis: vel quasi eandem  
deberes alteri rudiori te, explicare.

Actum demum te perfectè repetivisse & cum in-  
tegrè inuestigasse, existimes, cum ordinem locorum  
præcipuorum artis differendi sequutus fueris.

Quapropter si paruo labore simulq; fructuose  
rem propositam repetere & exactè scire volueris,  
primo nosse debebis præcipuorum locorum seriem.

Deinde hanc eandem multa meditatione quasi  
ante oculos habere.

Tertio observare tractationes argumentorum,  
quomodo videlicet argumenta in disciplinis tra-  
ctentur, ut sunt argumenta præcipua, sumpta à de-  
finitione, à causis, ab effectibus, à comparatis, à co-  
gnatis, à contrariis, à repugnantibus, &c.

Ne autem videar solùm præcepta ostentare, non  
autem

autem explicare, poterit exemplum de re quacumq;  
in qua vis facultate statui. Et in Theologia de Fide:  
quæ quia genere, hoc est, notitia multiplex est, tribuitur  
suis partibus.

Mox singularum partium differentia ac defini-  
tiones ex Authoribus petende. Post hæc sequentur  
causæ Fidei omnes, videlicet efficientes, quæ sunt  
Spiritus sanctus: Verbum Dei: ardens precatio: &c.  
Materiales sunt omnes articuli doctrinæ Christia-  
næ, & promissiones Evangelicæ: Formales sunt eæ,  
quas Christus impertit: Finales, ut gloria Dei & sa-  
lus æterna. Effectus, sunt omnia bona opera, iuxta  
illud Pauli ad Roman. 14. Omne quod non est ex Fi-  
de, peccatum est. Cognata sunt virtutes primæ tabu-  
læ. Tandem pugnantis sunt ea omnia, quæ cum defi-  
nitione causarum sensu quasi contrario pugnant.

Magna est huius Methodicæ repetitionis utili-  
tas, quæ vel ex eo se facile ostendit, quod gravis illa  
controuersia iamdiu de bonis operibus exorta, facile  
dirimi possit, si illa pro effectibus Fidei verè, ut sunt,  
& non pro causa salutis fictitiè habeantur.

Iurisprudentiæ quoq; studiosi cum magno labo-  
re, sæpe etiã (ut Imperatoris Iustiniani verbis utar)

cum diffidentia (quæ plerunq; iuuenes quasi per me-  
dium profundum euntes, ab innumeris Civilis pru-  
dentia voluminibus auertit) ad id perueniunt, ad quod  
leniore via & hac ipsa Methodo ducti, sine magno  
labore & sine ulla diffidentia peruenire possent. Va-  
leant glossæ; valeant opiniones: valeant commenta:  
nullo loco erunt, si hanc rationem Methodicam, de  
qua dico, perfeceris.

Ea verò ne & in Iuris studio usu suo careat,  
vnum atq; alterum afferam exemplum. Nam per-  
longum fuerit singula pertractando exequi. Neq;  
hic materiam supposito, sed saltem agendi modum  
& viam præmonstro.

Primum exercitium sit positum in materia tute-  
lari, quæ tuæ ætati conuenit: ea in Pandectis diffusa  
est per duos integros libros. Liber Codicis quintus in  
ea ferè consumitur. Liber Institutionum primus  
titulis 14. in eandem sententiam editis concludi-  
tur. Sed ista multa in vnâ normam facile præ-  
dicta Methodo redigi poterunt. Argumenti namq;  
istius tractationem ingressurus, primo loco quæras  
definitionem nominis, deinde rei, &c.

Eam subsequatur diuisio, in Testamentariam, le-  
gi-

gitimam & datiuam. Singularum definitiones que  
runtur.

Efficiens causa remota testamentaria Tutela est  
Ius civile; propinqua est voluntas testatoris, qua tu-  
tor testamentarius efficitur.

Causa efficiens legitima est, aut lex 12. tabularum  
aut confirmatio Iudicis: Datiua est competens Ma-  
gistratus. Propinqua Mater est & alij propinqui  
ipsius pupilli, qui nisi intra annum pupillo prospici-  
ant de tutore, beneficio successionis priuantur, si is  
in etate pupillari decesserit.

Quia autem uocabulum relatiuum est Tutor,  
ideo uersatur circa subiectum & obiectum.

Subiectum est ipsa persona Tutoris, & huc perti-  
nent tituli: Qui testamento Tutores dari possint, etc.  
& qui tutores esse uel non esse queant.

Obiectum est pupillus qui est impubes. Huc perti-  
net annumeratio reliquarum personarum, quibus  
tutores dentur, uidelicet nepotibus & alijs descen-  
dentibus posthumis, Filio emancipato, &c.

Pro causa materiali principaliter constitui po-  
test persona pupilli: consequenter uero substantia  
illius.

Effectus Tutelæ consistit in authoritate tutoris  
& actione directâ Tutori, ac contraria pupillo fini-  
ta pubertate competenti.

Causa formalis consistit in administratione  
tutelæ per Iudicem consummata: in confectione  
Inuentarij, satisfactione, Rem pupilli saluam  
fore, &c.

Finalis causa patet quod sit defensio qua  
Pupillo propter atatis & consilij inopiam opus  
sit.

Cognata tutela sunt ea omnia quibus cum Tutela  
magna est cognatio, etsi in nonnullis differant, ut  
est Cura, & Officium illud quo quis pro Tutore se  
gesit.

Fugnantia tutela sunt modi, quibus ipsa Tutela  
perimitur & finitur, de quibus est Titulus Quibus  
modis tutela finitur. Istis expeditis quiescit intelle-  
ctus noster, & nihil est in Iure quod non ad aliquam  
horum locorum sedem referri possit.

Sic quoque materia testamentorum, qua latè  
admodum diffusa est, facile intelligi & explicari  
potest.

Ordine ergo supradicto obseruato. Testamentum  
est

est testatio mentis, si definitionem nominis exigas, alia autem est rei definitio videlicet, Iusta voluntatis nostrae sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit. Sententia est genus: iusta voluntatis, est specifica differentia, ut differat à codicillis & sententia Iudicis: nostra, est causa efficiens: de eo, est causa materialis: quod quis post mortem, est causa formalis: fieri velit, est effectus, videlicet actio petitionis hereditatis.

Cognata sunt Substitutio, Codicilli, Contractus, qui ultimis elogiis equiparantur.

Pugnantia sunt modi quibus Testamenta infirmantur.

Certè qui hanc viam seu rationem in Iure sequuntur, ij paruo labore, quaecunq; in Academiis Iureconsulti de Iure praecipunt, exceptis cõtrouersis forensibus, in quibus alia est via atq; ratio, assequuntur, praesertim si suo non alieno ingenio in inuestigatione locorum utantur.

Sed ut ab exemplis ad praecepta, unde longius quàm initio proposueram, digressus sum, reuertar, Alterum est, ut interdum, cum vel à Praeceptore audiuisi: aliquid notatu dignum: vel proprio ingenio

inuenisti, aut iam aliquid clariùs & rectiùs intellexisti quod antè non intellexeras, tum illud annotes eo modo quo potes & quo tibi videbitur.

Magna est quoq; huius exercitij utilitas: etiam si illa nunquam amplius legas.

Sed in hac adnotatione, de qua toties, oportet te habere duo genera voluminum.

Vnum quod contineat res quotidianas aduersarias, ita ut in eadem pagina sint accepta & expensa, data & soluta, confuso quidem ordine, sed aliqua tamen distinctione.

Debet enim volumen hoc memoriae quotidianæ causa comparari & institui, ita ut ad quæuis loca deferri possit.

Alterum volumen quod erit Bibliotheca & custodia, debet esse perfectius & in normam Communium locorum redactum, ut accepta semper parata atq; in promptu sint.

Instituendi itaq; sunt hi loci & quotidie implendi.

Et iam fortasse expectas ut, quo pacto isti sint comparandi subiciam: Ad eam etenim rem conficiendam primùm delectu diligenti, tum cautione-

tione non una opus est. Verùm hic labor à me in presentia non est flagitandus, non solùm quia tam multa de his scripta sunt, ut vix ea in summam omnium ingenis congruentem, redigi possint, sed et vel maximè quia sua cuiusq; collectio rerum, omnium optima est.

Et quoniam disciplina non ad cognitionem modò, sed ad actionem etiam dirigitur, ideo per magna exercitatione, qua in disputationibus publicis & privatis consistit, opus est.

In his autem disputationibus (quod in distributione temporum ultimum fuit) si quidem ipse vel argumentari vel respondere debebis, diligenter observanda sunt ea, qua in hanc sententiam utiliter in Institutionibus suis, Doctissimus Fonseca ille quem nosti, tradit lib. 7. cap. 42. & sequenti.

Sin autem auscultabis tantùm, prius obiter coneris scire qua de re sit futura disputatio, & si potes prelegas ac praconsideres theses: num eas intelligas, qua sit probatio & ratio uniuscuiusq; thesis, an ipse respondere ad illas possis, nec ne: & si putas respondere te posse, bene habet: sin minus, notes, qua

non intelligis, ut vel in ipsa disputatione, vel postea ex aliis intelligas, vel priuatim proponas Praeceptorum aut alteri cui libuerit.

In disputatione ipsa semper aduertas omnia verba, tum argumentantis, tum respondentis, Et an uterq; rectè fungatur suo munere: an ipse ita argumentareris aut responderes, si tibi hac prouincia incumberet.

Deniq; hoc curandum tibi est, ut ex qualibet disputatione vel aliquam saltem, si plures non potes, inde aut rationem, aut obiectionem, aut solutionem, quam antè ignoraueras, domum referas.

Sed in iis omnibus quæ dicta sunt, tribus potissimum virtutibus opus est, sine quibus neq; hac ratio neq; ulla alia multum opis inueniet.

Primum autem, diligentia est necessaria, sine qua etiam magna ingenia non longè progrediuntur: deinde temperantia, qua custos sit ingenij, ac natura tua conseruatrice. Tum Constantia in utraq; ut ea perficiantur quæcumq; inchoantur. Et quoniam harum virtutum in te signa præ cæteris maiora elucent, ideo Et maioribus studiis  
effi-

efficiendum illud tibi est, ut ipsis quoque virtutibus respondeas.

Et quamuis te tua natura excitet, tamen ut magis exciteris, considera patriam spem, patris vota, matris suspiria, sumptus atque impensas quas faciunt, & contemnunt omnes pro nihiloque ducunt, si tu modo, quod volunt, feliciter ducaris & reducaris.

Primum autem, & ultimum sit, ut ad haec omnia diuinum auxilium assidue inquires, & animam tuam ab omni heresi & vitio liberam, puram & sanctam, custodias.

Tu vero melius tibi consule: cetera dicam

Quid mentem polias posthac **SUMMISSIO** cura  
Sit tibi: quodque Deus dederit, **SATIS** esto superque:  
Nunc sere quod messis tibi sit letissima seni:

Ne quid agas praecipis, quod mox te mordeat actum:  
Neglige quod factum tu potest, nihil esse labores.

Quos fortuna fouet, **GARDENS**, his comoda vita  
Gratare: **OFFICIIS** cumulans quos sors mala  
versat.

Officium vigili studio fac: Sic tibi tandem  
Candida se iunget virtus, te iunget Olympo.

C

Atque

Atq; hæc sunt quæ nequaquam ociosus ad te  
scribere volui, impulsus singulari Patris tui tuoque  
ipsius rogatu. Quæ si tu æqui bonique feceris, Et ad  
horum omnium finem, animi ac corporis viribus  
contenderis (ut generoso animo tuo Et proposito di-  
gnum est) abundè mihi relatam abs te gratiam exi-  
stimabo. Vale feliciter. Riga Ipsi Jan. Kal. Anni  
mcentis 1592.

